



contat. 2 ff. 4 ff.

Sammelhof u

- 1)
- 2)
- 3)
- 4)
- 5)
- 6)
- 7)
- 8)
- 9)
- 10)
- 11)
- 12)
- 13)
- 14)
- 15)
- 16)
- 17)
- 18)
- 19)
- 20)
- 21)
- 22)
- 23)
- 24)
- 25)

13.
//
כשה
DE

14 -
**TEMPLI PRIORIS
PRAE POSTERIORI
GLORIA,**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO

ET

ELECTORATVS SAXONICI HEREDE,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

SVB PRAESIDIO

**IO. CHRISTOPHORI VVICH-
MANNHAVSEN,**

LINGVARVM ORIENTALIVM PROF. PVBL.

FACVLT. PHILOSOPH. SENIORIS, ET

BIBLIOTH. ACAD. DIRECTORIS,

Ad D. XXVIII. Septembr. A. R. G. c 15 15 CC XV.

Publice differet

AVCTOR

M. HIERONYMVVS VVIGAND BIEL,

LUNEBURGENSIS.

VITEMBERGÆ

Typis CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYP.



DE
1773

TEMPLE PRIORIS
RAE POSTERIORI
GLORIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS REGIO

ET
ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS
DN. FRIDERICO AVGVSTO

SVB PRAESIDIO
IO. CHRISTOPHORI VVIGH-
MANNSHAUSEN,

LINGVARVM ORIENTALIVM PROF. PUBL.
FACVLT. PHILOSOPH. SENIORIS, ET
BIBLIOTH. ACAD. DIRECTORIS,

ANNO D. MDCCLXXIII. SEPTEMBRIS. A. R. G. C. P. B. CC. XX.

Publice dissecte

ACTOR
M. HIERONYMVS VVIGAND BIEL
LEIBNITZBURGENSIS

LEIBNITZBURGE

Typis CHRISTIANI SCHRÖDERI, ACAD. TP.





I.



Templi Prioris Gloriam, cui cessit *Posterius*, exposituri, non pluribus praemittendum putavimus, quodnam per *Prius*, quodnam per *Posterius*, *Templum* velimus intelligendum: cum cuilibet ad oculum pateat, nos non nisi de *Templis Hierosolymitanis*, SOLOMONAEO illo, *Priore*, & ZOROBABELO-HERODIANO, *Posteriore*, commentationem qualem qualem instituere velle. Diffiteri quidem non possumus, aedes, gentilium superstitioni consecratas, Augusto *Templorum* nomine saepius insigniri, & hoc non aliam (si recte conjicimus) ob causam, quam quod *Templa*, imprimis *Aegyptiaca*, a STRABONE, (a) *Tiberio* imperante, descripta, ad formam *Templi Hierosolymitani*, non autem *Hierosolymitanum* ad formam *Aegyptiacorum*, (quod affirmare, esse prope ludere in re sacra, putat Celeb. SPANHEMIVS (b)) constructum, effectumque, fuerit. Postquam enim divinae providentiae visum ita fuerat, ut, praeter accuratam cultus sui rationem, certum quoque, in quo publice adorari voluit,

A 2

locum

(a) *Geograph. L. XVII.*

(b) *Hist. Eccl. V. T. p. 363. ed. Lug. Bat. d. a. 1701.*

locum *Israëli* praescriberet : similiter divinae gloriae juratus hostis suam quoque superstitionem fascinatam commendare, divinoque, suum cultum, *Mosaicis*, sua sacrificia, *Abaronis* nepotibus, suos sacrificulos, *Tabernaculo*, dein *Templo*, fana sua opponere annisus est. (a) Atque hinc factum esse videtur, ut nomen *Templi* antiquis *Christianis* adeo invisum tandem redderetur, ut, destructo praecipuis *Templo* Jerosolymitano, ab eodem vel plane abstererent, vel rarius minimum id usurparent. (b) A temporibus sane CONSTANTINI M. *Templa Paganorum*, in Christianos usus, praevia expiatione, & solenni crucis, Christianae religionis signi, exaltatione, conversa, nec non novae aedes sacrae, ex *Christianorum Principum* mandatis, ac munificentia, extractae (c) saepius *Ecclesiae*, *Basilicae*, *Martyria*, *Oratoria*, *Tituli*, *νομαχαι* (unde vox germanica die *Rirche*) *Domus*, vel *Dominicae*, unde Cathedralis *Ecclesia* hodiernum *der Dom* vocatur) *Monasteria*, a quo vocabulo *Münster* descendit) aliisque nominibus, rarius autem *Templa* nuncupabantur. (d) Ut ut vero & *Temporum* nomine *Ecclesiae Christianae* nonnunquam veniant : cuique tamen, ut putamus, in propatulo erit, nos, quando de *Templis* quibusdam agere instituimus, non *Christianorum*, aut *Gentium*, quaedam ; sed (ut supra monuimus) *Jerosolymitanum* utrumque sub quale quale in praesentiarum examen revocatos esse.

II.

Jerosolymitana itaque duo *Templa* dum nominamus, inter

(a) Jo. Ph. Pfeifferi *Antiq. Graec. Lib. 1.*

(b) D. Abb. Schmid. in *tertia parte Lex. Eccl. ad voc. Templi.*

(c) Spanhem. *Hist. Eccl. N. T. p. 356. 357.*

(d) D. Abb. Schmid. *l. c. ad haec nomina.*

inter mundi miracula haud postrimum nos nominare existimamus. Fuit enim utrumque, si conditores spectes, celeberrimum; si materiam, aurum, argentum, aes, lapides exquisitissimos, molisque stupendae, & ligna denique, ex remotis locis advecta, pretiosissimum; si formam, tum interiorem, tum exteriorem, tantis architectis dignissimum; si capacitatem, toti *Israelis* posteritati recipiendae aptissimum; si tandem situm in montis altissimi vertice, cellissimum summi DEI inter homines habitaculum. Audiamus de *Templo posteriori*, inferiore licet *Templo Priori* nec adhuc inter *Herodiana*e opulentiae radios corruscante, differentem Scriptorem Ethnicum, L. ANN. FLORUM, quando de *Pompejo* (a) enunciat, quod, urbe frustra defensa, IEROSOLYAMAM intraverit, et *Viderit illud grande impiae gentis arcanum patens, sub aureo uti coelo: hoc est, Sancto Sanctorum*, in quod aditus alias *Pontificibus* tantum licitus erat. Recte enim SELDENVS (b) *Lipsum*, & qui hunc sequitur, *Freinshemium*, aliosque, taxat, quod in locum: *aureo uti coelo, verba, sub aureo vitem coelo*, substituunt. Haec enim post POMPEIVM in *Herodiano* demum *Templo* conspicua fuit. Et sane Templi hujus exterior quoque structura adeo magnifica, & splendor tantus, fuit, ut *nihil, quod animus, aut oculi, mirarentur, non habuerit. Crustis enim aureis* (ut refert JOSEPHVS (c)) *gravissimis undique tecta, ultra primos ortus igneo splendore lucebat, ut, cum intuerentur contendentium oculi, quasi solis radiis averterentur.* Plura hanc in rem facientia

A 3

L.B.

(a) *Rer. Rom. Lib. III. Cap. 5.*

(b) *Lib. II. Cap. VIII. de Republica Hebraeor.*

(c) *de Bello Jud. Lib. VI. Cap. VI.*

L. B. ibidem reperiet, irem apud LVD. CAPELLVM, (a)
qui ἱερογχαφλαυ Templi ex JOSEPHO adornavit.

III.

Licet autem adeo superba, omniumque admirationem advocans, Zorobabelo - Herodiani Templi esset facies; Solomonaicum tamen palmam isti plurimum praeripuisse, praeter antiquitatem, splendor, dignitas, & praerogativae innumerae, apprime evincunt. Vocavimus hoc Prius, & illud, Posterius, habita temporis ratione; eam vero potissimum ob causam, ut omne tertium excluderemus. Expectant quidem recutiti, ad unum omnes, adhuc aliud Templum, ab EZECHIELE descriptum, (b) a JEREMIA, in terna Templi repetitione, adumbratum, (c) a JESAIA, in gemmeo fundamento, praedictum, (d) & in diebus MESSIAE extruendum. (e) Sed cum Prophetarum haec vaticinia vel de futura Templi Zorobabeliani exstructione agant, vel spiritualiter explicanda sint, vel denique Majorum infelicem, in corporalibus, & visibilibus, rebus, fiduciam, quae & nostrae aetatis Judaeis adhuc dum, propria, a Majoribus, haereditatis quasi jure, ad posteros transmissa, atque adeo, merito suo, a Jeremia repressa est, verbis adeo ponderosissimis, improbant: frustra omnino in pervertendis oraculis istis sanctioribus desudant. Praeterea ex omnium seculorum memoria abunde constat, quantis, sed infelicibus semper, conatibus, gens haec extorris molita semper id fuerit, ut Messiam quendam futurum

(a) l. c. p. 282. (b) Cap. XL. - XLIV. (c) Cap. VII.
v. 4. (d) Cap. LIV. v. 11. (e) Abarb. Comm.
in Propb. post. fol. 278. col. 3. 4. ejusdemque Comm. in
Propb. pr. 230. col. 4.

turum *Tertii Templi* architectum in apricum produceret. Testantur inprimis antiqua monumenta, (a) JULIANO inprimis, *Apostata*, Imperatore, (b) magnam spem, *Tertium* condendi *Templum*, profanae genti affulsisse, postquam is, utpote infensissimus hostis, ut aegre faceret *Christiculis*, precibus *Judaeorum* lubentissime subscripserat. At enim vero licet iterum, iterumque, manus ad opus admo- verint Apellae: flammam tamen, ex terrae visceribus, eru- pisse, &, divino absque nutu, novam quandam *Templi* structuram suscipientes abegisse, laudata monumenta si- militer adnotant, nullumque adeo impiis, & nefandis, his- ce *Messiae* sui occisoribus, istiusmodi quid imposterum perficiendi, spei locum amplius relinquunt.

IV.

Quod si igitur vana omnino, & frustranea, *Tertii* cujusdam *Templi* est expectatio: commode *Salomonaeum*, PRIUS, et *Zorobabelo-Herodianum*, POSTERIUS nuncu- pabimus. Nec quicquam hic nobis officit IOSEPHI au- thoritas, quando diserte hic adstruit, quod *Herodes*, (c) disjecto toto *Templi* fundamento, quod *Zorobabelus* po- fuerat, novum omnino isti supposuerit, ut adeo *Herodiano* aedificio tertius, inter *Judaica* *Templa*, locus jure, ac merito, suo assignandus sit. Favent IOSEPHO *Ju- daei Doctores* non pauci, e quibus ABARBANEL inpri- mis allegari meretur, qui de *Herode* ita scribit: (b) ויסתר הבנין הראשון ויחרס אותו ויבן את הכותל מחדש: subduxit (*Herodes*) *Templum* prius, & destruxit illud, novamque domum condidit. Sed cum ABARBANEL, &, qui cum eo sentiunt, contribules, *Iosephum* ducem unice

(a) *Marcellin. Rer. Gest. XXIII. c. 1. p. 271. ed. Gronov. de a. 1701.*

(b) *Spanb. de Hist. Eccl. N. T. p. 445. ed. Lugd. a. 1693.*

(c) *Comm. in Propb. pr. ed. Lips. f. 230. col. 3.*

unice sequantur; acquam omnino est, ut vel tribus, quantum hac in parte ipsi sit tribuendum, dispiciamus. Dum vero otium hic nobis quodammodo facere videtur Vir. Celeb. Dn. FRIDERICUS SPANHEMIUS, verba istius huc transcribere haud gravabimur: (a) *Fidem Iosephi, in hac Templi Herodiani descriptione, tanquam a fundamentis plane novi, sublatis veteribus fundamentis, et quidem Salomonicum ipsum superaturi gloria & magnificentia, non uno nomine desiderarunt Villalpandus, & Viri alii perspicaces, & Theologi gravissimi.* Rationes varias his subjungit Belgae Celeberrimus, (b) quibus hoc suum assertum dilucide confirmat. Suspectus ergo in hac narratione merito & nobis est IOSEPHUS, historicus alias fide dignissimus; siquidem summam hanc extructi novi Templi gloriam HERODI, eam ob causam, (ut probabilis minimum habet ratio) vendicasse censendus est, ut animos Imperatorum, Procerumque Romanorum propius sibi met devinceret, utpote qui Herodem, ejusque nepotes, ob fidem, & praestitas in bello operas, maximopere fovebant. De Judaeis autem, frigidam IOSEPHO hic suffundentibus, strictim insuper notamus, quod in assensum hunc eo libentius abripi se patiantur, quo magis sublestam istam hypothesin, per quam, ex Haggaei testimonio, posterioris Templi gloria Herodiano aedificio, tanquam Zorobabeliano posteriori, vendicatur, confirmat. Sed de hoc prophetico effato prolixius in peculiari *Dissertatione* commentabimur.

V.

Quare cum omni fundamento destituantur tum illi, qui *Tertium*, post *Secundum Templum* adhuc futurum, expectant, tum hi, qui *Herodianum* a *Zorobabeliano* distinguunt;

(a) in *Idea Hist. Eccl. V. T.* p. 140.

(b) in *Hist. Eccl. V. T. plen.* p. 496.

guunt ; liquet , duo tantum fuisse *Templa*, quae tamen
 (quod nunc probandum nobis incumbit) *Gloria*, & *Majest*
ate, non fuisse aequalia. In causae subsidium hic ad
 vocamus Prophetam HAGGAEUM, qui, (a) ex manda
 to divino, ad *Zorobabelum* Principem, ad *Josiam*, sum
 mum Sacerdotem, & ad univ^{er}sum, ex captivitate rever
 sum, populum ita fatur : מי ככר הנשאר אשר ראה :
 את הבית הזה ככרו הראשון ומה אתם ראיתם :
 : אתו *quis remansit*
vestrum, qui vidit domum hanc in prima sua gloria, &
 quamnam vos jam videtis, nonne, comparate ad illam,
 nihil instar est in oculis vestris ? Verba sunt per se cla
 ra, nec indigent *Versionum*, tum vetustiorum, tum recen
 tiorum, adjectione, nec alia quadam fusiori explanatione.
 Haec tria tantum ex HAGGAEI verbis elicimus, & (1)
 quidem fuisse nonnullos superstites, qui viderant *Prius*
Templum in *Gloria*, & *Majestate*, ejus, & quidem in se
 cundo DARIO anno ; qui DARIUS non fuit *Notus*,
 sed *Hystaspis*, inter *Darios*, *Persarum* reges, *primus*. Hoc
 enim nisi supponatur, ipsi Spiritui S. contradiceretur, per
Haggaeum asserenti, quod, inter reduces ex *Babylonia*,
 nonnulli adhuc dum fuerint superstites, qui *Templi Prioris*
splendorem, & magnificentiam, oculis suis usur
 paverant. At vero, quomodo vivere, ac intueri, po
 tuerunt iidem *Israelitae Templum Prius*, & *Posterius*,
 si sub DARIO *Notus* haec omnia contigissent ? siquidem,
 hac ratione, a *Templi Prioris* combustionem, ad *Templi Po*
sterioris exstructionem, ad minimum C LXXXVI anni
 praeterlapsi fuissent, quibus si addantur XIV. tantum
 anni, qui istis minimum erant attribuendi, qui in cap
 tivitatem abripiebantur, nec pueri, sed adolescentes, qui
 B judicium

(a) c. 2. v. 3.

judicium ferre possent de re visa, antea *Templum Prius* intuiui erant; portentosae sane aetatis illi fuissent, quos HAGGAEUS, in praesenti textu, compellat, ad ducentos annos asurgentes. Ex aduerso, si ille DARIUS, cujus *Haggaeus* meminit, *Hystaspis* fuisse creditur; intrepide asseuerabimus, hos, qui *Prioris Templi* spectarant aedificium, nonagenariis, vel minores, vel aequales, vel, ad summum, in paucis annis majores, fuisse, adeo, ut non necesse sit cum Sulpitio Severo, (a) Scaligero, (b) Drusio, Grotio, Coccejo, (c) (qui ultimus in varias formas sese vertens, a *Scaligeriana* tandem exegefi vix, ac ne vix quidem, dissentit,) aliisque, contenta hujus Prophetici dicti impossibilitatis, ex falsa hypothesis, arguere.

VI.

Quapropter vindicatis, quos alloquitur *Propheta*, curatius ista jam nunc erunt examinanda, quae Sanctus, Dei ad populum suum, Orator edisserit (2) de *Prioris Templi* Majestate, & (3) de *Posterioris Templi*, infra prius, conditione. Illud subinnuit Vates per ככר, quae vox, si a metonymico significato discesseris, *Gloriam, Majestatem, Sublimitatem, & Eminentium* (d) denotat, tribuiturque, in primo significato, Deo; in secundo autem, sed rarissime, rebus creatis, prout hoc loco *Templo Solomonis*. Cum vero *Propheta* voce plane singulari, & emphasi plena, utatur; sic satis stringens nobis suppeditat argumentum, ex quo dignitas, & eminentia, summa *Templi Solomonaei*, prae aliis quibuscunque, peti posse videtur. Et hoc quidem clarius adhuc patebit, si posteriori quoque *Prophetae* membro attenderimus, in quo

(a) *Hist. Eccl. lib. II.* (b) *de Emendatione Temporum lib. VI.*
(c) *in Commentariis ad hunc locum.* (c) *Glassii Philol. sac. p. 145.*



*Secundi Templi imago per כנס, instar nihili, expressa describitur. Occurrit hic quidem, quod dissimulare non possumus, μειωσις quaedam, in sacris literis haud infrequens, (a) & quae ex nexu explicanda est: fatendum tamen ad hunc locum, quod vilitas, & contemptus quidam, per hanc particulam insimul indigitetur. Simile exemplum in V.T. exstat in verbis IOABI, (b) qui intempestivum Davidis luctum, & in defendendis subditis incuriam, reprehensurus: *Indicas, inquit, hodie כנס כי quod non sint* (hoc est neglectui sint) *tibi Principes ac servi:* item in N. T. *Deum elegisse, ait PAULUS, (c) τὰ μὴ ὄντα, quae non sunt,* (hoc est, *quae sunt mundo contemptui ac vilissima.*) Quod si igitur ex his parallelis locis commoda verborum HAGGAEI explicatio petenda sit: extenuat sciens volensque, Propheta *Templum Posterius, & per כנס* abjectam ejus, et vilissimi operis, structuram exprimit, quae tantum abesset, ut ad כבוד *Templi Prioris* assurgeret, ut potius nihili aestimanda esset; cum ἠνδύεσθε *ὁ γὰρ τὸ πάλαι, Templum verere* (ob tenues populi opes, & festinationem) *vilius esset.* Hinc illae lacrymae, in quas *Sacerdotes, Levitae, & ex populo Seniores,* resoluti dicuntur, qui viderant *Prius,* sed & inpraesentiarum videre debebant *Posterius, Templum,* in tanto moerore, ut & publicum gaudium, inter Psalmorum, tubarumve, solennia, tristes hosce exhilarare nesciret. (d)*

VII.

Satis ex divinis literis probatum dedimus, *Priori Templum Posterius* cessisse: pergendum nunc erit, & explicandum, in quibusnam rebus diversitas quaerenda sit,

B 2

qua

(a) *Glass. Phil. sac, p. 1946. nov. ed.* (b) *II, Sam. XIX. v. 7.*
 (c) *1. Cor. 1. v. 28.* (d) *Esd. III. v. 12.*

qua unum alteri antefendum est. Ulro fatentur, qui
 sunt ex grege circumsectorum, et decantata res est, de-
 fuisse in *Templo Secundo* quinque indubia divinae gra-
 tiae *τεκμήρια*, quae *Primo* ornatum, ac gloriam, olim at-
 que olim, summam conciliaverant. Defectus hic in
Gemara Hierosolymitana (a) per sequentia notatur:
 אלו ה' רכבים שחסר מקדש אחרון ממקדש ראשון
 ואלו הן אש: ארון אורים ותומים שמן המשחה
 ורוח הקודש: *Quinque rebus gravissimum est Sanctuari-*
um primum prae secundo, & illae sunt: Ignis, Arca,
Urim & Tummim, Oleum Unctionis, Spiritus Sanctus.
 Idem fere, methodo licet non adeo accuratiori, nisi
 mendum subit, (quo de infra §. XVI. plenius dispiciemus)
 occurrit apud *Talmudicos Babyl. (b)* אלו חמשה רכבים
 חסרו שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני ואלו,
 הן ארון וכפורת ורכבים אש ושכינה ורוח הקודש
 ותומים ואורים *Istae quinque res fuerunt in Sanctua-*
rio primo, & non fuerunt in secundo: Arca sacra cum o-
perculo propitiatorio, & Cherubinīs, Ignis coelestis, Maje-
stas divina, Spiritus S. Urim, & Tummim. Paria, *Do-*
ctorum Talmudicorum auctoritate suffulti ad unum *Ju-*
daei omnes, (c) sigillatim *R. Isaac Abarbanel, R. Scheo-*
mo, R. Kimchi ad cap. i. *Hagg. R. Isaac Ben Abraham,*
R. Manasse Ben Israel, alique, inculcant. Illud vero
 ex gemino, supra adducto, testimonio notari mereatur,
 quod utrumque, quinque rerum, in *Templo Secundo* de-
 ficientium, mentionem injiciant, eam potissimum ob
 causam, quod *HAGGAEUS* cap. i. v. 8. וְאֶכְבֶּדֶהּ דֵּדֵּד
 defective sine ה, pro וְאֶכְבֶּדֶהּ exhibeat, manifesto indicio, quod
 quinque res in *Secundo Templo* defuerint.

VIII. Im-

מועד 2. (b) in seder. 2. מועד 2.
 (a) *Cod. Maccob. fol. 32. col. 1.* (b) *in seder. 2.*
 שכינה (c) *Buxtorf. lex. Talm. p. 2397. ad voc.*

Immorabimur vero paulo pressius huic negotio, & ad quinque, in *Templo Secundo* deficientes, res curiosiori, ut par est, oculo attendemus. Hoc dum perficere, al- laboramus, ordine, quem observant Talmudici, neglecto, primo loco de igne quaedam commentabimur. Ignis hic de coelo delapsus, (a) *Tabernaculo* primuni exstructo, consumebat omnia sacrificia, alebaturque lignis semper apponendis, Deo ferente legem, (b) ne unquam *Sacerdotes* eum extinguere permitterent. Cum insuper nullum dubium sit, ignem hunc fideliter usque ad tempora *Solomonis* fuisse conservatum; ex speciali *DEI* Gratia accidisse videtur, quod die, *Primo Templo* natali, inter festiva gaudia, iterum ignis de coelo descenderit, (c) qui, postquam per plura secula in *Templo* arserat, tandem, in *Prioris Templi* destructione, vel extinctus, vel cum profano igne permixtus, evanuit. Dissentit ab hac sententia, ut opinamur, nemo, si Auctorem *Lib. II. Maccabaeorum* exceperis, qui in posteriori *Epistola*, (d) quam suis, ex *Jasone* excerptis, praefixit, inter alias incongruas narrationes, de igne *Prioris Templi* refert, eum a *Sacerdotibus* in, nescio qua, fovea absconditum, a *NEHEMIA* postea inventum, & probatum, tandem, fama ad regem *Perfarum* perlata, etiam ab hoc examinatum fuisse. Sed dudum observatum est ab Eruditis, quod memorata *Epistola*, sive inscriptionem, sive contenta ejus spectes, tribus integris fere seculis, post *Artaxerxem* exarata demum fuerit, qui *ARTAXERXES Longimanus* fuit, a quo missus est *NEHEMIAS, Jerosolymam*; Quando autem, & quonam ex scrinio, hanc

B 3

Episto-

(a) *Lev. IX. v. 23.* (b) *Lev. VI. v. 6.* (c) *II. Chron. VII. v. 12.* (d) *II. Macc. I. v. 19. & seq.*

Epistolam auctor depromserit, vix constat. Altiori in-
 super indagine illud omnino indiget, utrum scilicet ve-
 ro videatur consentaneum, *Sacerdotes*, in foveam ignem
 deportantes, existimare potuisse, quod idem iste, utpote
 pabulo per LXX. annos integros, & quod excurrit, de-
 stitutus, superstes, & incolumis, manere potuerit; & si
 hoc, ob insitum coelestem virtutem, demum conceda-
 tur; an non potius IOSUÆ, *Summo Sacerdoti*, & ZO-
 ROBABELO, parastatae fidissimo, quam NEHEMIAE, i-
 gnem hunc inveniendi gloria tribuenda fuisset. Illi en-
 nim, in sacrificiis legitime adornandis, eo quam maxi-
 me indigebant, quo tamen per octoginta annos care-
 re debuissent, si per *Nebemiam* tandem ignis hic restitu-
 tus fuisset; siquidem ab ARTAXERXIS *Longmani* an-
 no vigesimo, quo *Nebemias*, ad instaurandam aram, se con-
 vertisse (a) dicitur, ad primum CYRI annum totidem sci-
 licet octoginta anni elapsi sunt. Et, si neque hoc momen-
 tum urgere morosius velimus, quis, quaeso! induci se
 patietur, ut credat, Regem ethnicum, contra tot inter-
 dicta divina, in profanationem *Judaicae* religionis, ad
 facienda sacra admissum fuisse, quod Auctor in v. 34,
 per *δοκιδόσας τὸ πρᾶγμα*, haud obscure subinnuit. Et,
 ut ignis in aquam, & aquae in ignem, dubiam, & fa-
 bulae proximam, conversionem non attingamus: illud
 reprehensione inprimis dignum est, quod *Epistolae* au-
 ctor extruccionem *Templi*, & altaris, primumque sacri-
 ficium, NEHEMIAE adscribat, ESDRAEque adeo, in
 toto libello suo aliud urgenti, in os quasi contradicat. (b)
 Falso autem huic fundamento non, nisi falsa superstrui
 posse, quisque, nobis non monentibus, sponte intelli-
 git.

(a) *Neb. II. v. 1.* (b) *Heideggeri Enchir. Bibl. c. XVIII.*
 p. 496.

git. In *Posteriori*, itaque, *Templo* ignem sacrum, & coelestem, non comparuisse, tacente *Scriptura Canonica*, admodum probabile est; licet accurate determinare nequeamus, quando *Posterioris Templi* ignis a IOSUA, & arae restauratoribus, in primo, post captivitatem, sacrificio productus fuerit.

IX.

Praeter ignem ARCA cum *Propitiatorio*, & *Cerberis*, si fides utriusque *Talmudi* habenda est, in *Posteriori* quoque *Templo* deficiebat. Atque hic iterum, audacter satis, *Jasonis* abbreviator, allegatae, quam approbat, *Epistolae* auctoritate seductus, pronunciat, quasi JEREMIAS, praeter *Tabernaculum*, & altare suffitus, *Arcam* quoque *Foederis*, occupaverit; & in antro quodam montis *Pisgae*, a quo MOSES terram promissam e longinquo conspexerat, cuncta ista occultaverit, simulque spondiderit, fore, ut justo suo tempore *Deus* in nubibus adpareret, & locum hunc, mortalium nulli cognitum, genti suae manifestaret. Sed per *Deum* immortalem! tot omnino sunt hic *divisata*, quot verba. An quis sibi concipere potest, hominem captivum, & catenis onustum, qualis in expugnatione *Jerosolymitana* erat JEREMIAS; (a) in *Sanctum Sanctorum*, in quod nulli, nisi *Summo Sacerdoti*, patebat adirus, penetrare, furentibus flammis *Arcam*, cum *Tabernaculo*, & *Ara*, subducere, & haec omnia, per medias *Babylonici* exercitus catervas, cum pompa quasi, trans *Jordanem*, post plura superata milliaria, in antrum quoddam, MOSIS exuviis vicinum, cum vaticinio; (sed de cuius complemento, altum apud omnes istos, qui post solutam captivitatem prophetarunt, Vates est silentium) inferre potuisse? Quapropter

(a) c. XXXIX. v. 14.

propter his, rationibus inductus, non possum non ab auctoritate libri, extra canonem quidem, sed non extra codicem biblicum, positi, modeste dissentire, & in istorum tantisper secedere castra, qui ARCAE, in *Posteriori Templo*, defectum, nullamque, circa eam abscondendam, *Prophetæ* curam, statuminant. Neque vero quicquam, ut hanc deferamus sententiam, Veterum quorundam *Rabbinorum* nos commovebit auctoritas, de quibus refert ABARBANEL, (a) quod per notionem רביר, 1. Reg. VI, 19. expressam, locum quendam sub pavimento absconditum, in quem, imminente *Templi* everfione, inferri *Arca* debebat, designatum fuisse, asseruerint. Sed, cum ipse A-BARBANEL hos, nimis subtiles scripturarum interpretes, aperte deserat, & SYRVS, quem ARABS sequitur, דו רביר per כנס סם יהוה semper vertat: operæ non erit pretium, ut, in his refutandis, frustra tempus teramus, praeprimis cum, (posito etiam, sed non concessio, quod talis locus subterraneus *Arcae* regendæ extiterit,) dubium tamen remaneat; an in hunc locum illata fuerit *Arca* ante urbis expugnationem, (quod gratis JO-SIAE tribuunt *Judæi*; (b)) & si & hoc, an potuerit a flammis sub solo conservari illaesa; & si quoque hoc indulgentiores largiremur: an potuerit inveniri, & revera etiam unquam ab iis, qui ad patrios redierunt lares, inventa fuerit; quod nullus, probatae fidei, scriptor calculo suo corroborat. Quare cum nostris dubitandi rationibus solidi nil quicquam opponi posse existimamus; istorum sententia, quæ pro *Arcae* conservatione depugnat, per se concidere videtur.

X. Quan.

(a) Ad 1. Reg. VI. v. 19.

(b) Ligtfoot. Hor. Hebr.

& Talm. p. 979. ed. Lips.

Quantum vero ad ipsam attinet *Arcam*; duplex quidem hic se nobis objicit quaestio, scilicet, utrum & ista, in *Posteriori Templo*, defuerit, & si defuit, quid de illius interitu judicandum sit? Et sane, si ad *Mosaicam Arcam* ζήτημα hoc adstringamus, cum *Synagoga* universa, Doctiores Critici ultro largiuntur, quod in *Posteriori* ista *Templum* illata non fuerit, sed vel, destructo, per Chaldaeos, *Priori*, inter flammam & ipsa, una cum reliquis Templi κειμήλιαι, perierit; vel etiam *Babylonem* integra deportata fuerit, quam rem, utpote obscuram, & nos in medio relinquimus, & nil quicquam temere definimus. Supposito vero, quod antiquior, & *Mosaica* ista, *Arca*, quocunque modo, interierit: de eo adhuc dum litigant Eruditi; utrum scilicet omni omnino *Arca Posterioris Templi* destitutum, atque adeo *Sanctum Sanctorum* prorsus vacuum relictum; an vero *Arca* quaedam, *Mosaicae* similis, & ad formam hujus effigiata, in idem istud traducta fuerit. In priorem sententiam IOSEPHUS, (a) &, qui hunc sequuntur Doctissimi plures, quibus & nos haud gravatim adstipulamur, inclinant, & eam quidem potissimum ob causam, quoniam laudatus IOSEPHUS, utpote *Sacerdos*, coaevus, & ἀυτόπτης, vel, ad minimum, ἀυτίοπτων discipulus extiterit. Urgenti autem, quod sacra sic mutila videantur, cum *Sacerdoti* non adfuisset illud *Propitiatorium*, super quod septies sanguinem, in die expiationis, spargere potuerit: regei quadatenus posse existimamus, quod, non obstante, quod, *Arca*, quondam a PHILISTAEIS surrepta, & *Tabernaculo*, non, nisi post multos annos, restituta, sacra tamen integra peracta, & omnia *Sacerdotis* S.

C

officia

(a) v. Lud. Capellus Delin. Templi Post. ex Josepho p. 281.

officia, in magno illo die, impleta fuerint, atque adeo *Arcae* absentia cultum divinum prorsus non mutilaverit. Signum enim quoddam isto in loco, in quo antea, in *Solomonaeo Templo*, arca substiterat, erectum fuisse, per quod *Summus Sacerdos*, ubi spargendus esset sanguis, admoneretur, cum LUNDIO (a) alii nonnulli, adnotant. Pro posteriori interim sententia, per quam *Arca*, non quidem *Mosaica*, sed ad illam effigiata, *Secundo* vindicatur *Templo*, haud obscure pronunciat *Talmud Jerosolymitanum*, cujus auctoritati, & hac in parte, LIGT-FOOTUS (b) atque alii, subscribunt. Et nisi nos omnia fallunt, *Talmudicos*, ut istiusmodi quid statuerent, potissimum movit; ut, cum intimum adytum omnibus esset inaccessum, praeterquam *Summo Sacerdoti*, & quibus, ex Sacerdotum ordine, illud, a tordibus purgandi, munus demandabatur: iidem, & sigillatim *Pontifex Maximus*, sine scandalo infirmorum, munia, & sacra, sua in loco hoc tremendo, & Venerabili, quotannis obire potuerint. Putat enim MAIMONIDES, (c) quod lapis in *Sancto Sanctorum*, in *Parte Occidentali*, erectus fuerit, cui *Arca* incumbere debebat.

XI.

Dum vero *Arcam Templo Posteriori IOSEPHUS*, & alii, surripiunt; cuncta quoque, quae in *Arca* olim fuerunt, eidem denegant. Continebantur autem in *Foederis Arca*, ut *Auctor* Epistolae ad *Hebraeos* (d) refert, *εἰμωτο χειρῶν, ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ βίβλος τῶν λαῶν ἢ βλασησασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης*. Hic locus, licet satis sit evidens

(a) *Lundii Jüdische Heiligthümer* p. 265. edit. Francof.
 (b) *Hor. Hebr. & Talm.* p. 608. (c) *Hilchot Bech Habbe-
 ehirat Cap. IV.* (d) *Hebr. IX. v. 4. v. Clerici Comm. in 1.
 Reg. VIII. & Pfeiff. Dubia Vexat. p. 426.*

evidens, contradicere tamen eidem videntur non tantum, *I. Reg. VIII. v. 9. & II. Par. V. v. 10.* (ubi longe aliter verba informantur) sed & IOSEPHUS, ita scribens: *ἔχει δὲ ἡ κιβωτὸς ἑξάεν ἕταρον, ἢ δύο λιθίνας πλάκας, αἱ τῆς δέκα λόγους, τῆς ὑπὸ τῷ θεῷ λαληθείσας, ἐν Σιναίᾳ ὄρει ἐγγεγραμμένους, αὐταῖς ἔσωζον.* Ut itaque Scripturam cum Scriptura, & cum *Josepho*, conciliarent *Interpretes*, (a) eo delapsi sunt, ut existimarent, articulum ἐν ἡ, non ad *κιβωτον*, sed ad *σκηνὴν λεγομένην ἁγία ἀγίων*, post alterum velum, adstringendum esse. Et ex horum quidem mente, sensus *Apostoli* esset, quod ista *σκηνή, λεγομένη ἁγία ἀγίων*, praeter *θυμιατήριον*, sive *thuribulum*, *urnam* quoque cum *Manna*, & *Virgam Aaronis*, sustinuerit. At enim vero, cum ἡ *σκηνή* admodum remota sit, & hoc supposito, Scripturae certitudo, & perspicuitas, periclitetur, τὰ ἐν ἡ potius ad *κιβωτον*, quemadmodum *Tabulae Legis*, referenda erunt, maxime cum, versiculo quinto, expresse addat *Apostolus*, quod *ὑπερῶνω αὐτῆς χερσὶν δόξης, super eam* (scilicet *arcam*, quae dicta vasa omnia continebat) *Cherubim gloria* extiterit. Atque hoc modo expresse sequeretur, quod, ad instar *Tabularum Legis*, *Urna* quoque, & *Virga Aaronis*, in ipsa arca collocatae fuerint. Equidem non ignoramus, quod *Urna* haec, *manna* repleta, & *viridis Aaronis virga*, non in ipsa arca, cui *עדות, testimonium*, sive *Tabulae Testimonii*, tribuendae sunt, sed *עדות לפני, coram Testimonio*, (ut *MOSES Ex. XVI. v. 33. & Deut. XVII. v. 10.* expresse docet) asservatae fuerint; idemque adeo locus promiscue his assignari nequeat: observandum tamen est; quod particula ἐν non semper *in*, sed saepius etiam *prope*, vel *ad*, (ut *c. I. v. 9. huj. Ep. & Col. III. v. 1.*) *Xenophontes*, aliisque, optimae, notae, auctoribus *Gracis*, ducibus, significet.

gnificet. Atque hac ratione *Manna*, cum *Virga Aaronis*, prope *Arca Foederis*, in arculis, ad latera istius firmatis, reposita fuit. Expresse enim relatam legimus, (a) quod PHILISTAEI aurea sua dona, capsulae, ad latus arcae conspicuae, imposuerint. Caeterum, cum ista adhuc restet difficultas, quod *Vrnam*, & *Virgam*, cum *Tabulis* APOSTOLUS combinet, atque adeo de his rebus pronunciet, quod eadem, & lege, & conditione, in *Arca* istae fuerint, omnino eo recurrendum erit, ut dicamus, quod summario tantum hic notet Auctor sacer, quod dicta quidem instrumenta sacra in *Arca* exstiterint, ita tamen, ut *Legem* ventri, *Vrnam* vero, & *Virgam*, prout alibi in *Sacra Scriptura* descriptum exstat, uni ex utroque latere, adscribendam esse voluerit. Et hoc quidem modo *Arcae* vocabulum non tantum *Tabulas*, sed, una cum *Vrna*, *Virgam* quoque includebat; quae duo ultima, strictior ejusdem significatus, in *Regum*, & *Paralipomenon*, libris, utique excludit. Utcunque tamen de hoc negotio quis iudicet, & *Apostolum*, vel ad *Tabernaculum*, vel ad *Arcae* appendices, respexisse existimet: certum tamen esse videtur, quod, destructo *Tabernaculo*, vel *Templo*; & *Arca*, vel flammis exusta, vel etiam surrepta, dictae quoque res, vel prorsus interierint, vel, manu minimum sacrilega, ablatae fuerint.

XII.

Dolenda autem summo opere est tot rerum pretiosarum jactura, inter quas, primo loco, memorandum fuisse MOSES αὐτοῦργαρον, divini hujus Vatis manibus exaratum, ad latus *Arcae* repositum, (b) & IOSLÆ temporibus, protractum in lucem, (c) sed quod, sine dubio, inter *Templi* spolia, aut

(a) 1. *Sam.* VI, v. 8. (b) *Deut.* XXXI, v. 26. (c) 2. *Reg.* XXII, v. 8. 9.

Babylonem translatum, aut iniquis flammis absumtum est. Interim divinam providentiam admiramur, quae noluit, ut perirent omnia ἀπόγραφα, quorum interitus suspectam reddidisset *Pentateuchi* integritatem, ac auctoritatem; etsi vel maxime constitisset, *Prophetam* quandam, ex memoria sua, eum restituisse. Nugatur ergo, quisquis est, personatus ille ESDRAS, in *Libro*, qui, in Codicis Biblici nonnullis, sed minus accuratis, exemplaribus, *Quartus Esdrae* inscribitur, fingens, (a) *Esdram* legem combustam, cum nullibi eam invenisset, ex sua memoria, infumtis in hunc laborem diebus quadraginta, *Ecclēsiae* reddidisse. Sed utraque fraudem manu facile palpabit quisque, qui modo *Esdram* hunc post tempora demum CHRISTI JESU, cujus expressam injicit mentionem, floruisse, incerto admodum idiomate, (cum *Latium* modo exemplar existet) factos suos exarasse, ac denique non pauca, quae fabulas, omnium cordatiorum cunsensu, *Talmudicis* proximas, redoleant, veris immiscuisse, paulo accuratius secum perpendet. Detestanda itaque illorum hic est audacia, qui canonicam *Libro* huic, utpote foecundo fabularum promptuario, auctoritatem asserere, & nuperrime quidem, non dubitarunt. (b) Patres interim, qui, ab hoc Auctore decepti, jacturam omnium librorum MOSIS, eorumque miraculosam restitutionem, ex *Pseudo-Esdra* hoc docuerunt, credulitas nimia, & antiquitatum Judaicarum (c) scientia haud accuratior, quadantenus excusabit. Quare cum idoneis omnino argumentis isti destituantur, qui omnium exem-

C 3

pla-

(a) Cap. XIV. (b) Heidegger, *Ench. Bibl. pag. 369.* & D. V. E. Löschneri *Vertheigung der unschuldigen Nachrichten pag. 646.* (c) vid. *Quensied. Systema Theol. Part. I. pag. 272. ed. noviss.*

plarium *Mosis* jacturam, temporibus devastati *Templi*, ad-
scribunt; concedendum nobis utique erit, quod sub *Tem-
pli Posterioris* aetate, *Mosis* minimum ἀποργαφα, licet
αὐτοργαφον Ejusdem, cum *Arca & Tabernaculo*, devastato
Templo, periisse probabile sit, remanserint.

XIII.

Huic jacturae, a *Talmudistis*, porro ad sociatur τὸ
Urim & Thummim defectus, de quibus cum tortuosae
quaestiones, propemodum innumerae, ab Eruditis in me-
dium proferantur, in recensendis, ac refutandis, iis-
dem haud occupabimur, neque adeo fusius de eo, quid
Ⲁⲩⲣⲓⲙ & Ⲁⲩⲩⲙⲓⲙ vocabula proprie significant; quid
fuerint; & qua ex materia extiterint; & quis responsio-
num per illa modus; de quibus momentis erudite, & so-
lide, dispicit Celeb. PFEIFFERUS, (a) & auctorum, hoc su-
per argumento commentantium, nubem densissimam fi-
sit, hic disputabimus. Hoc unum tantum indicandum
putamus, quod, per *Urim & Thummim*, intelligendae ve-
niant gemmae duodecim, *Pectorali* insertae, quibus rite
adhibitis, responsa dabat, revelabatque abscondita, DE-
US. Quandoquidem vero *Pectorale* quoddam, & in
Pectorali duodecim gemmas, etiam in *Secundo Templo*,
ad fuisse, plane non inficiabimur; vim tamen, & virtu-
tem, merito iisdem denegabimus. (b) Provocamus,
hunc in finem, ad ESDRAM, aequae ac NEHEMIAM, qui
suis temporibus, *Urim & Thummim* floruisse, plane non
contendunt, sed diserte potius adstruunt, quod nonnul-
lis Sacerdotibus de sanctis comedere prohibitum fuerit,
donec sacerdos ad *Urim & Thummim* staret. (c) Equi-
dem non ignoramus, quod, *Andabat arum* more, de legi-
timo

(a) *Dubia Vex. p. 241.*

(b) *Ligtfoot Hor. Hebr. & T. pag.*

608. ed. Franecq.

(c) *Esr. II, v. 63. Neh. VII, v. 65.*

timo verborum sensu, hic inter se digladiantur *Interpretes*, adeo, ut laudatus PFEIFFERVS octo dissentientium classes, ordine suo, recenseat, quibus decisionem, cum probatione succincta quidem, sed solida, ita subjungit, ut cum asseveratione, quod conditio hic impossibilis indicetur, Lectorem suum dimittat. (a) Addi his potest, quod quidam, ex captivitate domum reversi, spem forsitan conceperint fore, ut DEUS usum *Urim & Thummim* restitueret aliquando, id tamen nunquam factum fuisse, omnium fere *Judaeorum* annales calculis suis confirmant. Sanior quoque, ut hoc credamus, ratio svadet; siquidem plane non est probabile, ut, cum summum hoc beneficium DEUS genti suae denuo impertiri voluisset, temporibus *Esdrae*, & *Nebemiae*, id ipsum denegasset, & dein tandem, temporibus longe posterioribus, in quibus nullus *Prophetarum* amplius comparebat, *Ecclesiae* reddidisset. *Talmudistarum* enim hypothesis est: *Non scitatur* (per *Urim & Thummim*) a quovis *Sacerdote*, qui non loquitur per *Spiritum Sanctum*, & super quem non habitat *divinus afflatus*. (b) Quanquam autem *ESDRAE* aetate *Prophetia* nondum defecerit: deficiebat tamen singularis, per *Urim & Thummim*, divinandi modus, adeo, ut audiendus non sit *R. ASARIAS*, qui (c) *Urim & Thummim*, sub initio *Templi Posterioris*, extitisse, contra auctoritatem *Majorum suorum*, tueri sustinet.

XIV.

Cessante autem tam manifesto divinae gratiae indicio; mirum non est, a *Talmudistis* addi, quod etiam שכינה divina habitatio in *Templo Posteriori* cessaverit,

Non

(a) *Dubia Vex. p. 476. & seqq.* (b) *Talmud. Bab. seder. 2. l. 5. & Lightfoot. Hor. H. & T. p. 979.* (c) in מאור עינים סוף. 10. fol. 187. & Pfeiff. *Dub. Vex. p. 476.*

Non quidem hic existimandum est, quasi RABBINI omnem inhabitationem divinam *Templo* suo denegare voluerint, siquidem ista decem, in lege studentibus, (a) & ipsis etiam *Templi* ruderibus, (b) adhuc dum tribuitur: sed quod de speciali tantum *Numinis* sanctissimi praesentia, & hujus, per externa symbola, manifestatione, verba sua conceperint. De *Tabernaculo* enim exstructo aperte indicat MOSES, (c) quod nubes apparuerit, & *Sanctum* hoc *Tugurium* adimpleverit; id quod etiam tempore Encaeniorum *Templi Prioris* accidisse, Scriptura commemorat. (d) Evolventi autem ESDRAM, & NEHEMIAM, nullibi occurrit, Deum in *Templi Posterioris* dedicatione apparuisse, externis in signis conspicuum, id quod, si factum fuisset, accuratiores hi restituae ecclesiae Scriptores, utpote miraculum, quod ad summum suorum, posterorumve, solamen pertinebat, silentio nequaquam praetermisissent. Accedit quod, rebus in ordinem redactis, שכונה inter alatos *Cherubinos* quaerendum fuerit, de quo nos MOSES per sequentia informat: (e) נוערתי לך שם ודברתי אתך מעל הכפרת : העדות : ארון העדות : Testabor tibi, & loquar tecum de propitiatorio, inter duos *Cherubinos*, qui super arcam *Foederis*. DEUS enim inter *Cherubinos*, tanquam *Dux*, & *Imperator* quidam, residebat, & de tribunali quasi, imperatorio inde modo loquebatur; unde &, scabellum pedum ejus, *Arca* vocatur. (f) Atque hinc etiam est, quod MOSES, quando Deum consulere volebat, in *Tabernaculum* ingressus fuerit, ubi DEUS

(a) in Pirke Avoth c. 3. (b) Abarbanel in Proph. Pr. fol. 235. col. 4. (c) Exod. XL. v. 34. (d) I. Reg. IIX. v. 10. 11. (e) Exod. XXV. v. 22. (f) Psal. XCIX. v. 5. & Fortun. Scacchus Myrothec. sacr. Elaeo-chrism. l. II. c. 36.

DEUS ex Propitiatorio, super Arca, inter duos Cherubinos, sermonem cum eodem recipiebat. (a) Quanquam autem fateri necessum habeamus, quod, post immediatum hoc, Dei cum hominibus, inter expansos aligeros, colloquium, nullum istiusmodi familiaritatis, cum Deo in itae, exemplum, in sacris literis, amplius extet: tamen non desit, per subsequenda tempora, habitare DEUS in symbolis externis, & quidem, ut in toto Sancto, & specialius, Sancto Sanctorum; sic in primis super Propitiatorio, inter Cherubinorum alas; quo super negotio, innumera Scripturae oracula plenius nos informant. SAMUELIS sane tempore, (b) שני הכרובים adhuc dum observabantur, & sedens, inter eos, erat DEUS, quia Arcae, Cherubinis rectae, praesens adesse, & oracula inde edere, solebat. Quod si autem respicimus ad Templum Posterius, non erat in eo Arca, non Propitiatorium, non Cherubini, ut supra probatum est; ergo nec habitatio DEI specialis his, divinae praesentiae organis, promissa, amplius eidem erit attribuenda.

XV.

Ex superioribus liquet, me, dum de שכנה egi, non egisse de Spiritu Sancto, qui nonnullis Rabbini unus, idemque, interdum cum שכנה est. (c) Solent enim hi DEUM, praesentiam suam, certo symbolo, exhibentem, vocare Spiritum Sanctum. Equidem eruditiores Critici, qui huic sententiae subscribunt, plane non negant, quod שכנה a רוה הקודש, si verba in strictiori sensu accipiuntur, quadantenus distingui queat, cum, hoc modo, שכנה non nisi praesentiam divinam, certo symbolo, se manifestantem; רוה הקודש vero speciatim Deum, Pro-

(a) Num. VII. v. 89.
Ierf. Lex. Talm. pag. 1398.

(b) I. Sam. V. v. 4.

phetis
(c) Bux-

phetis, inferioris ordinis, se exhibentem, insinuet. At enim vero generali significatu, notionem רוח הקודש, saepius gaudere, vel inde elucescere existimant, quod, postquam *Israelitae* externo symbolo *Nubis*, supra *Tabernaculum*, vel in *Tabernaculo*, & *Templo*, quandoque caruerunt, non potuerint de divina, apud ipsos, praesentia, ex ullo alio argumento, certius judicare, quam quod, per afflatum divinum *Spiritus Sancti*, electi quidam homines, de rebus futuris, oracula, & cantica, sua funderent, vel *Pontifex Maximus*, per *Urim & Thummim*, in dubiis casibus, divina consulta exponeret. Inde enim demum iudicium istos formare potuisse, utrum שכינה, *divina*, ipsis adesset, nec ne! *praesentia*? His, & aliis, momentis inducti, commodum putant, cum SELDENO, (a) statuere, quod רוח הקודש & שכינה, in *Ebraeorum* scriptis, una, eademque, res sit, atque plane pro synonymis habendae. *Talmudi* enim *Babylonico* (b) quod שכינה & *Spiritum Sanctum*, tanquam res distinctas, minus congrue, (si modo locus sit incorruptus, & mendae suspicionem careat,) enarrat, opponunt *Jerosolymitanum*, quod in locum שכינה, & apta quidem, ut putamus, ratione, רוח הקודש, *Oleum Unctionis*, ita substituit, ut *Spiritum Sanctum* immediate isti subjungat. Recentioribus vero, quid in mentem venerit, quibusdam Rabbini, ut, cum *Nathane*, רוח הקודש ita interpretentur: שהו נבואה, (c) quod nihil aliud, quam *Prophecia* fuerit; & insimul tamen supponant, quod רוח הקודש in *Templo Posteriori* defecerit, plane non hariolamur. Ex *Sacris* enim *Pandectis* ad oculum patescit, quod sub *Templi*, etiam *Posterioris*, temporibus, *Propheciae* quidam floru-

(a) de *Synedriis* Lib. I. c. 14.

(b) in *Taanith* fol. 6. cap. 1.

(c) in lib. ערוך ad rad. כבר,

floruerint. Non enim modo *Haggaeus*, (a) & *Zacharias*, (b) utique, *Posterioris Templi*, Prophetae, expressis verbis, *Prophetarum* dicuntur, sed quoque, cum *Malachias* Templi, recens extracti, & Ecclesiae, fata, nec non utriusque, sub *Messia*, Majestatem, & Gloriam, verbis vivis, & Dei spiritu animatis, praedixere: imo vero, *Primi Templi* Prophetae, vocantur, a ZACHARIA, *Priores*, (c) ut insinuaretur, etiam, sub *Secundo Templo*, fuisse *Prophetas*, qui *Posteriores* vocari merebantur. Ad haec, quod regerant, aliud non habent, quam quod inter *Templi Posterioris* initium, ejusdemque durationem, distinguant. Allegamus hunc in finem *R. Bechai*, qui in *Commentario* suo, in quinque libros Legis (d), ita scribit: *אשרה בו הכבוד שהו שכינה אלה שלא שרונה בו תריר כמו כבוד ראשון* Collocabo in eo gloriam, per *שכינה* expressam; sed non *תריר* habitabit, sicut in *Templo Priore*. *Meus Rabbini* videtur ambigua; Vel enim indicat, nullo modo *שכינה*, quod illi *Prophetarum* praesentia est, MALACHIA sublato, continuasse; vel, in continua serie, *Prophetas* non comparuisse. Si prius, concedimus, a MALACHIA, ultimo V. T. *Prophetarum*, per quinque secula, usque ad initia N. T., non extitisse, qui de praefagiendi futura dono, extra ordinem, ei concesso, gloriarı jure potuerit: sed negamus, magno hiatu illo temporis elapso, nullos omnino surrexisse *Prophetas*, siquidem *Prophetarum* Summus, & *Prophetiarum* omnium complementum, *Templo Posteriori* sese stitit, praesentesque fuerunt, inchoata nova gratiae periodo, *Prophetarum* alii non pauci; quo de argumento, in sequente *Dissertatione*,

D 2

tione,

(a) *Hagg. I. v. 1. Cap. II. v. 2.*

(b) *Zachar. cap. I. v. 1.*

(c) *Cap. I. v. 4. Cap. VII. v. 7.*

(d) in *Parasch. ויגש*

quae a *Gen. XLIV. v. 18. incipit.*

tatione, fusius agemus. Sin vero ad posterius respicit *Rabbinus*, non quidem nos negamus, sanctos Dei vates, in concatenata serie, non prophetasse, si tempora post *Malachiam* spectantur; sin autem ad tempora manifestati *Messiae*, ut par est, oculos defigamus nostros, nequaquam & hoc largiemur, cum a *CHRISTO*, usque ad eversionem *Posterioris Templi*, sine interrupto ordine, prophetarunt, post Maximum *Prophetarum*, plures. Sed dolendum est, non admitti a *Judaeis* haec divina, divinorum Vatum, vaticinia; potius provocari ab illis ad, nescio quas, e coelo saepius auditas, voces, & quas, per *בְּת קוֹל*, notiones, exprimere consueverunt.

XVI.

Quare, cum certo certius constet, *Prophetiae* donum, *Posteriori Templo* erecto, plane non cessasse; tantum abest, ut *רוּחַ הַקּוֹדֵשׁ אֵל*, quatenus per *נְבוֹאָה* elucidantur, isti abrogemus, ut potius summo jure, ac merito, suo, illi idem vendicemus. Ceterum, cum per superiora satis probatum sit, quod, externa illa, gratiae divinae, symbola, *Columnae*, scilicet, *Nubis*, & *Ignis*, item *Foederis Arca*, super cujus *Propitiatorio* *שְׂכִינָה*, *majestas divina*, speciali ratione quasi, habitabat, sub temporibus *Posterioris Templi*, defuerint; probatum quoque insimul erit, quod *רוּחַ הַקּוֹדֵשׁ*, quatenus *Deum*, *praesentiam suam*, certo externo symbolo, exhibentem, significat, atque adeo idem, cum *שְׂכִינָה*, indigitat, amplius ibidem non comparuerit. Sed cum hac ratione, in *Gemara Babylonica*, (b) quinque res expressae, quas, in *Templo Secundo*, defecisse Doctores existimant, ad quatuor, tantum reducerentur, haud incongruum forsan erit, ut per *שְׁמֵן הַמִּטְחָה*

(a) vid. Buxtorf. *Abbrev. Hebr.* p. 60. *Ligtfoot. Hor. Hebr. & Talm.* pag. 622. & *Spanb. H. V. T.* pag. 48. (b) *Joma* c. i.

המשחה, *Oleum Vnctionis*, (quo de nulla ibidem facta est
 mentio) ex *Talmude Jerosolymitano*, numerum quina-
 rium suppleamus. *Spiritum Sanctum* vero, & *Oleum Vn-*
ctionis, iterum, a quibusdam *Rabbinis*, promiscue usurpa-
 ri, probatione vix indiget. Loquatur hic pro nobis, ci-
 tatus paulo antea, celebris, inter suos, Doctor, R. BECHAI,
 qui (a) *Talmudistarum* verba referens, & ipse *רוח הקודש*
 omittit, ac loco ejus, *שמן המשחה*, substituit; nobis-
 que adeo, non obscurum suppeditat argumentum; quod
Spiritum Sanctum, & *Vnctionis Oleum*, iste (imo etiam *Tal-*
mudistae Babylonici, quando in recensioe quinque de-
 defectuum *המשחה* *שמן*, omiserunt,) pro uno, eodemque,
 habuerit. Cumque adeo duo haec, Synonyma esse putent
 plerique *Judaei*, confundere quadantenus videntur *in-*
strumentum, cum effectu. Norum enim est, ex sacris li-
 teris, eos, qui sancta unctioe initiati leguntur, interdum
in, interdum, non multo, post unctioe actum, a
Spiritu Sancto, vel primum motos, vel saltim confirma-
 tos fuisse. Atque hinc est, quod *Spiritus Sancti ἐνεργεια*,
 saepius ibidem vocetur *unctio*, usurpeturque ita, per ex-
 cellentiam, primario, & singularissime, de CHRISTO,
 secundum humanam naturam; (b) secundario autem,
 & participative, de omnibus fidelibus, (c) qui a *Spiritu*
Sancto vocati, ejusque donis animati, & quasi uncti sunt,
 respectu scilicet ad V. T., & consuetam ibi unctioem,
 imo, quoad sequiorem significatum, ad *Messiam*, CHRI-
 STUM, *Unctum*, habito, quo super negotio *Theolo-*
gi inprimis consuli merentur. Mirum itaque non est,

D 3

quod

(a) loc. cit. (b) *Esa. LXI. v. 1. & Psal. XLV. v. 8. ad quae*
loc. vide inprimis Mart. Chemn. Tract. de duabus naturis, &
Quensted. Theol. System. in P. II. p. 310. 311. ed. noviss. (c) *a.*
Cor. I. v. 21. & Glass. Philol. S. p. 293. & 1894. ed. noviss.

quod, etiam in *Rabbinorum* scriptis, per organon, sive unctionem, per quam saepius *Spiritus Sanctus* vim suam exeruerat, effectus, sive ipse *Spiritus Sanctus*, vel, multo magis, ejus dona, intelligantur. Verum, cum nec hac ratione istud, quod intendunt *Talmudici*, plane obtineatur; siquidem non modo *Prophetiae* donum, ut jam tum evicimus, sed & *Spiritus Sanctus*, cum donis suis, durante *Templo Posteriori*, fidelibus omnino adfuit; res ipsa postulat, ut per *Oleum Vnctionis* nonnisi oleum, per manum *MOSIS*, (a) in deserto confectum, neque impostum, ab alio quoquam, conficiendum, intelligamus. De hoc refert R. *JEHUDA*, (b) quod, cum arca recondideretur, simul recondita fuerit *Olei Vnctorii* *lecythus*, *Urna*, qua *Manna* continebatur, *Aaronis* *virga*, hujusque *amygdala*, & *flores*, ac *capsula*, quam *Philistini* dono miserant *Israelitarum* *Deo*. Confecta itaque res videtur, quod, cum recensita reliqua *κευθήλια*, sub *Posteriori Templo*, defuerint; etiam *שמן המטה*, *Vnctionis Oleum*, defuisse dicendum sit. Atque sic, cum per *רוח הקודש* *Spiritus Sanctum*, quae verba *Oleo Vnctionis*, in *Gemara Jerusalemiana*, immediate supponuntur, & finem occupant, *שכינה* hic intelligimus; eo, quem supra indigitavimus, sensu; omne negotium confectum esse, putamus, cum ita, in *Posteriori Templo*, praeter *Ignem*, *Arcam*, *Urim*, & *Thummim*, & *Oleum Vnctionis*, *Spiritus Sanctus* quoque, quem *Hebraei* *Doctores* eundem cum *שכינה* faciunt, defuerit.

XVII.

Visis itaque paulo penitius iis, quibus *Templum Posteriorius* carere debuit, & quae a *Talmudistis* recensita sunt, cognitaque exinde *Templi* hujus conditione, ad

Prio-

(a) *Exod.* XXX. v. 32.

(b) *Massechet Horajoth.*



Prioris gloriam non ascendente: restat, ut, ad alia quaedam expedienda, jam nunc nos accingamus. Ne autem, iusto, prolixiores forsan videamur; paucis potiora complectemur. Negari non potest, quod ornamento, quam maximo, fuerit, *Templo Priori*, TABERNACULUM, quod ab ipso *Deo* delineatum, in monte *Mosi* praemonstratum, &, quasi ad digitum *Dei*, effigiatum erat. Expres-
 sis autem nos informat verbis, *Sacra Scriptura*, quod SO-
 LOMO, absoluta *Templi* sui structura, non tantum *Ar-*
cam in montem *Moriae* inferri iusserit, sed & *Taberna-*
culum, cum suis *κευμήλοις*, eodem insimul deduci cura-
 verit. (a) In quemnam interim praecise locum, *Taber-*
na culum translatum voluerit, *Regum* sapientissimus, de
 eo quidem, *ἀνεξ γερὰ Φῆς*, prolixè nimis, haud disputabi-
 mus, utut, si conjecturae quid tribuendum est, non im-
 probabile sit, quod *Tentorium* hoc *Mosaicum*, in *Solomo-*
nis adyto, ne *sacra suppellectilia*, quorum unum alterius
 causa factum erat, separarentur, collocatum fuerit. Probaf-
 se, ex citatis locis, nobis hic sufficit, quod tum temporis,
Tabernaculum Foederis praesto adhuc, & in *Monte Sa-*
dero, in loco minimum, a *Templi* domo non adeo remo-
 to, collocatum fuerit, eum potissimum in finem, ut
 posteris hic SOLOMO exemplar, & formam, relinque-
 ret, ad quam *Templum* suum condi voluerit. Nulli e-
 nim dubitamus, quin *Rex*, structurae suae intentus, u-
 troque oculo ad *Tabernaculum* hoc respexerit, animum-
 que eo imprimis intenderit, ut, quoad partes essentielles,
 exacta, inter utrumque, harmonia deprehenderetur.
 Atque sic aptius vix quicquam accidere poterat; quam
 ut *Typus Antitypo*, *Forma formato*, jungeretur, & cui-
 bet adeo, elapsis tot, a *Solomone*, seculis, convenientia,
 inter

(a) 1. Reg. IIX. v. 4. 2. Par. V. v. 5.

inter utrumque, patefceret. Probabile utique est, nec contradicit Scriptura, *Tabernaculum*, cum suis gazis, ad *Templi Prioris* usque combustionem, conservatum fuisse, testemque mansisse divinae structurae, quam, suo in *Templo*, fuerat *Solomo* imitatus. At enim vero deplorandum est, evanuisse tandem, quocunque interitu, hoc *DEI*, inter homines, *Tabernaculum*; quicquid in contrarium, pro ejusdem conservatione, Secundi Libri *Machabaeorum* Auctor, cujus sublesta admodum, ut supra fusius demonstratum, fides est, frustra hic oggerat. Quare, cum non haberent, qui *Posterius* adornabant *Templum*, exemplar, quod intueri, ac imitari, *Solomonis* instar, potuerint; merito, vel hanc etiam ob causam, *Posteriori* *Prius Templum* antefendum erit. Suppetebat quidem, *Posterioris Templi* architectis divina adhuc dum Scriptura, in qua *Tabernaculi*, aequae ac *Templi*, *ἱερογῶφία* expressa est; imo etiam, inter aedificatores, reperiabantur non pauci, qui prius aedificium oculis suis usurpaverant: at non vivum aliquod, & manu contrectandum, *ὑπόδειγμα* reliquum erat, quod aedificationem *Zorobabelianam* moderari potuisset. **MOSI** sane, cum exstruendum illi esset *Tabernaculum*, non tantum idem istud, quoad omnes, ex quibus constare debebat, partes, exhibebatur, sed, in visione quoque montana, accuratissime praemonstrabatur. (a)

XVIII.

Praeterquam vero, quod *Posterior Domus* ad accuratius, quod non amplius extabat, exemplar, confici haud potuerit; deerant etiam ipsi, autentica, & *Primo Temple* quam maximo ornamento, *Mosaica* monumenta. Quamquam enim vasa aurea, & argentea; si non in univ-

sum

(a) *Exod. XXVI.*

sum omnia, pleraque tamen captivi, *Babylone, Jerosoly-*
man secum reportaverint: (a) de singularibus tamen,
 cultui divino destinatis, instrumentis, qualia erant, u-
 trumque *Altare, Mensa, & Candelabrum*, altum, tam a-
 pud sacros, quam profanos, Scriptores est silentium.
 Cuncta autem haec vasa admodum erant magnifica, &
 ipsis *Mosaicis*, sive amplitudinem, sive materiam, spe-
 ctes, excellentiora. Quod enim ad altare attinet, conve-
 niens erat, ut REX *Potentissimus*, capacious quoddam *Mo-*
saico, & ad absumenda tot sacrificia, aptius, adornaret,
 & istud quidem aeneum, cum *Mosaicum* ex ligno tan-
 tum confectum fuisset, (b) ut duraturo ipsi *Templo* ne-
 quicquam cederet. Insuper de eodem scriptura commemo-
 rat, quod non aliud tantum, ad suffiendum, in *San-*
cto, altare posuerit; sed & alias quoque decem *Mensas*,
 (c) totidemque *Candelabra* aurea, (d) ita in *Templo*
 disponenda, ut quina ad *Meridianum*, & iterum qui-
 na ad *Septentrionalem*, parietem extenderentur. Ad
Gloriam, & Majestatem, cuncta haec pertinuisse, nemo
 inficiabitur, ut ceteroquin admodum sit probabile,
 quod, in formandis hisce omnibus, ad antiquissima illa
Mosaica, & divinitus praecepta, monumenta sollicitè
 admodum, Regum sapientissimus, attenderit. Haec ve-
 ro exemplaria, aedificatoribus *Secundi Templi*, in promptu
 adhuc fuisse, nemo intrepide affirmabit; & si hoc de-
 mum, animi causa, largiri velimus, multo tamen splen-
 didiora, & copiosiora, prae *Zorobabelianis, Solomonaeae*
 fuisse, *Templumque* adeo *Posterius Priori*, & hac in par-
 te,

E

(a) *Esdr. I. v. 7.* (b) *2. Par. IV. v. 1. & Cap. VII. v. 7.*
 (c) *2. Par. IV. v. 8.* (d) *1. Reg. VII. v. 49. 2. Par.*
IV. v. 7.

re, succubuisse, morosius, ut putamus, nemo inficiabitur. (a)

XIX.

Si quoque ab AUCTORE *Dignitas*, ac *Majestas*, alicujus aedificii petenda est: extra oleas quidem haud vagabimur, si, & hanc obcausam, prae *Posteriori*, *Prius Templum* plurimum celebrandum esse, asseveremus. Erat enim, qui hoc aedificabat, REX *Sapientissimus*, a quo non nisi sapientissima structura; REX *Potentissimus*, a quo non nisi splendidissima, & Majestatem Auctoris exprimens; Rex item, absque *Superiore*, *Monarcha*, a quo non nisi liberrima, & omni servitute exemta, structura adornari poterat. Aliter autem prorsus cum Auctoribus *Templi Secundi* res comparata erat, utpote qui, Tanti Regis intuitu, in imis confedissee subselliis putandi sunt. Erat, qui jaciebat *Templi* hujus fundamenta, *Zorobabelus*, e regio quidem sanguine oriundus, sed in publica captivitate, per plures annos, detentus; gemuerat, item IOSUA, *Summus Sacerdos*, & *Judaei* reliqui, captivi omnes, (b) a quibus aedificium, molis adeo stupendae, quod CHALDAEI concremaverant, ex dignitate reparari non potuit. Accedit, quod *Templi Posterioris* architecti, non *Judaei*, sed *Ethnici*; *Reges*, scilicet, *Persarum*, CYRUS, & DARIUS, fuerint, qui & sumtus ad structuram suppeditabant, (c) & quantitatem, qualitatemque, ejusdem (id quod de *Cyro* sigillatim affirmat ESDRAS, (d)) praescribebant. Nec est denique, quod *Judaei* adeo magni faciant *Herodis*,
circa

(a) v. *Lud. Capell. l. c. p. 280. & Pfeiff. Dub. Vex. p. 426. & quos
ait. Auctores.* (b) *Esd. III. v. 2.* (c) *ej. Cap. I.
v. 4. Cap. VI. v. 8.* (d) *ej. Cap. VI. v. 3. 4.*

circa Templi refectionem, molimina. Quis enim fuerit HE-
 RODES omnis loquitur historia; (a) nimirum gente, *Idu-*
maeus, ἀλλόφυλος, professione quidem *Judaeus*, sed religione
 varius, tyrannus, raptor, & sepulchri *Davidici* violator, in
 subditos, suosque, stupendum in modum, crudelis, Roma-
 norum κτίσις, & abjectus suorum *Patronorum* adulator, quo-
 rum favore tutus, impia quaevis contra gentem, sibi, suae-
 que tyrannidi, *suspectam*, perpetravit. Quod si autem *Davidi*,
 cujus manus, hostium sanguine, erant pollutae, negatum
 fuit, DEO suo *Templum* condere: (b) quid de *Herode*
dicamus, qui profanas manus, quae non modo hostium,
 sed quoque subditorum, Synedrii, affinium, socrus, con-
 jugis, liberorum, sanguine madebant, ad condendum
Templum admovit! Et licet Recutiti ad haec, referen-
 te, ex *Bava Bathra*, LIGTFOOTO, (c) regerant, quod
 sub *Herodis* imperio, & potestate, tum temporis, *Judaei*
 fuerint, nec adeo *Tyranni* conatus impedire potuerint:
 eo ipso tamen, (verissima utut ista sint) sponte nobis
 concedunt, quod conditor, vel restaurator, *Templi Po-*
sterioris, homo profanus, & illegitimus, fuerit, *Tem-*
plumque ita *Prinus Posteriore*, vel hanc etiam ob causam,
Superius nuncupandum sit.

XX.

Idem offendemus, si utriusque *Templi ambitum*,
 paulo penitius, perlustrabimus. Etenim *Respublica Ju-*
daica erat πολυάνθρωπος, decedente *Davide*, adeo, ut
 JOABUS, ante ultima Istius fata, ad mandatum ejus, in
 tribu *Judae* 500000, & in reliquis tribubus 800000
 mares, ad arma capienda, idoneos, (d) *Sacerdotibus*, *Le-*

E 2

vitis

(a) vide Spanh. id. *Histor. Eccles. N. T. pag. 139.*

(b) 1. Par. XXIII. v. 8.

(c) ex Sed. IV. Lib. 3. recenset

Tom. II. Opp. p. 608.

(d) 2. Sam. XXIV. v. 9.

*vitis, (a) mulieribus, & parvulis, non connumeratis, recenseret. Licet vero ob diffidentiae, quo Rex compellabatur, crimen, 70000. viri fortes, atque strenui, non multo post, peste perierint: (b) ab hoc tamen tempore, usque ad quartum regiminis Solomonaei annum, plures, qui, peste praesente, pueri extiterunt, in viros surrexerant, ut adeo eorum, qui peste absumti erant, defectus per hos facile suppleri potuerit. Accedit, quod Templi area, in posteritatis gratiam, extracta fuerit, quae, jam tum populo foecundissimo, non poterat non sperari foecundissima. Cum enim omnes saeculi coram Domino quotannis, in solennioribus tribus Festis, non tantum *Jerosolymas* contendere, (c) sed & ibidem (ut CL. VILLALPANDVS erudite conjicit;) in atrio Templi, non seorsim, sed conjunctim, comparere debuerint, de amplissima areae circumferentia, quae Templo erat proxima, haud difficulter quilibet judicabit. Quod si autem ad Templi Posterioris auspicia diligenter attendamus, tantum 42000, cum aliquot centenis, ex captivitate *Babylonica*, *Jerosolymas* reversi memorantur, (d) quibus, temporis successu, quidam, numero tamen pauciores, adjecti fuere. Et hac quidem populi paucitate supposita, quis, quaeaso! sibi imaginari poterit, quod Posteriori Templo, tantae capacitatis, area, quantae Prioris, adjecta fuerit. Si quis, in posterorum commodum factum hoc fuisse, objicere velit; isti probandum incumbet, quod aedificatores hi, qui vix catenis se subduxerant, ea rerum copia abundaverint, ut non modo ista, quae ad necessitatem propriam, sed & ad futurorum*

(a) Num. II. v. 33.

(b) 2. Sam. XXIV. v. 15.

(c) Exod. XXIII. v. 14. Deut. XVI. v. 16.

(d) Esdr. II. v. 64.

rorum emolumentum, pertinere videbantur; adparare
 potuerint. Contrarium potius ex *Esdra* (a) colligimus,
 utpote qui plures *Sacerdotes*, & ex plebe *Seniores*, fle-
 visse commemorat, & scilicet, *ביסרו זה הבית*, cum
Domus Posterior fundaretur. Eapropter a lacrymis se
 temperare non potuerunt, postquam limitibus, adeo an-
 gustis, *Posteriorius Templum* circumscribi conspiciebant.
 Porro, si quis instare velit, quasi de fundatione tantum
 domus ipsius, non autem de atriorum, circa domum,
 extractione agat *ESDRAS*; eum ablegamus ad *i. Reg.*
librum, (b) ubi, de *Templo Solomonaco*, Auctor disertè
 adstruit, quod sexagenos cubitos longa, lata vero trice-
 nos, & vicenos alta, fuerit, quae mensura omnino ad
Templum proprie dictum, h. e. ad aedificium lapideum,
 in quo erant *Sanctuarium*, & *Adytum*, referenda est. Jam
 vero, utut altitudo *Posterioris Templi*, cum *Priori*, conspira-
 verit, *Posteriorius* tamen, quoad latitudinem, minimum *Prio-
ri* ut *ESDRAS* tradit, (c) ad dimidiam sui partem, praesti-
 tisset. Congruum itaque est, ut existimemus, *Seniores*,
 non propter angustam *Templi* ipsius aream, sed, propter
 atriorum, *Domui* adjectorum, miseram conditionem, la-
 crymatos fuisse. Interim non negamus; quod tempo-
 ris progressu, & *Herodis* sigillatim aevo, area *Templi ex-
terior*, in omnibus fere *Atriis*, inprimis autem in *Atrio
Gentium*, *Porticibus* plurimum amplificata fuerit. JO-
 SEPHO enim teste, (d) 2700000. viros, *Ierosolymas*, ad
 celebranda festa, properantes, (si modo vera narrat, &
 victoribus *Romanis* nimis non blanditur,) idem istud
Atrium capiebat. Quicquid vero hujus sit, & con-
 cesso etiam, quod *Herodianum* ipsius *Templi Solo-
monaei*

E 3

(a) *Cap. III. v. 11.* (b) *i. Reg. VI. v. 2. col. cum Esd. VI. v. 3.*
 (*) *Esd. VI. v. 3.* (d) *de bello Jud. Lib. VII. c. 17. p. 802. ed. Frob.*

monaci amplitudinem non parum superaverit; id tamen, per hactenus dicta, evictum est, quod *Templum Posteriorius*, per priora minimum quinque secula, etiam quoad amplitudinem, *Priori* fuerit inferius. Neque vero, quod obiter tantum monemus, omnis haec laus ad *Herodem* unice deferenda est, siquidem, ut *JOSEPHUS* nos informat, (a) *Templum*, vel potius istius *Atria*, non ab *Herode*, sed ab *AGRIPPA*, sub extrema *NERONIS* tempora, consummabantur, imo *Porticus Orientalis*, abnunte eodem *Agrippa*, (b) absolvi plane non potuit.

XXI.

Sed redeamus ad *Templi Posterioris* initia, quae piis *Senioribus* luctum expressere, & *Prophetarum*, nihili aestimanda, videbantur. Regimen enim *Davidis*, & *Solomonis*, sub quibus, tum stupendi sumtus, in *Templi* aedificium infumendi, collecti sunt; tum *Templum* dein ipsum magnifice extructum est, si respicimus, merito ista, sub quibus *Judaica*, & *Ecclesia*, & *Respublica*, insigniter floruit, *tempora*, ob summam auri, rerumque omnium pretiosissimarum, copiam, vocabimus *aurea*; si belli, hostiumque, exterminium, ac strages, *felicissima*; si pacis, multum duraturae, dulcedinem *felicissima*; denique, si *Regum* prudentiam, & aequitatem, omniumque rerum, quae leges in *Republ.* turbare solent, a finibus *Palaeestinae*, depulsionem, *justissima*, (c) adeo, ut nec antea *Judaeos* beatiora, nec postea unquam, habuisse, multo minus habituros esse, certo sumus persuasi. Econtra, si in ista temporum spatia, sub quibus *Templum*, ex favillis,

resur-

(a) ἀρχαίολ. Lib. XX. Cap. 8.
 & Tal. Tom. II. p. 590. ed. Francq.
 Sam. & pr. capp. 1. Reg.

(b) Lightfoot. Hor. Hebr.
 (c) v. post. capp. 2.



resurrexit, paulo penitius introspeciamus, manifesto de-
 prehendemus, quod, duce DANIELE, (a) tum ob ho-
 stes, ab omni quasi parte, *Judaeam* circumvallantes,
 tum ob servitium, quod, sub *Persico* dominatu, etiam
 captivi, subibant, & denique ob rerum plurium, quae
 ad tantae molis, & dignitatis, aedificium requirebantur,
 defectum, idem istud pro admodum angusto reputan-
 dum sit. Hinc, licet a CYRO decretum esset, ut *Jero-*
solymae Templum redintegraretur; (b) redeuntes tamen,
 extorres, simplici primum ara contentos esse oportebat,
 qui & ipsi, cum *Templi* foundationem postea tentabant,
 ab infestis vicinis maximopere divexabantur. (c) A
 CYRI primo, usque ad secundum DARII, *Hystaspidis*,
 annum, si computo *Chronologorum* hic subscribendum
 est, undecimi anni effluxerant, antequam reiteratus la-
 bor, & tandem, si moenia Urbis, adhuc dum in ruinis
 relicta, excipias, feliciter absolutus est. Verum, ut ni-
 hil tandem reliqui maneret, ARTAXERXES *μανεβχης*,
 divino excitatus spiritu, *Nebemiae* supplicibus subscri-
 psit precibus, eidemque, ut *Jerosolymae* erigi muros cu-
 raret, clementissime permisit. (d) Ut vero JUDAEI,
 sub *Persarum* regimine, non liberi, sed servi, *Domum*,
Domini supremi, extruxisse dicendi sint; neutiquam ta-
 men, hoc sub jugo, tantopere, quam quod *Romani*,
 & *Idumaei*, cervicibus istorum imposuerunt, desudabant.
 Omnis enim abunde testatur historia, quod non solum-
 modo *Templum*, & *Urbem*, plane, pleneque, nondum
 reparatam, expugnaverint, & expilaverint, ac sub ipsis
 instaurationis temporibus, vario tributorum genere
 mise-

(a) *Cap. IX. v. 25.* (b) *Esdr. I. v. 3.* (c) *ej. Capp. III. & IV.*
 (d) *Nebem. Cap. II.*

miferos, barbari hi, exagitaverint: sed quod *Herodis* quoque, & successorum, avaritia, superbia, &, in *Judaeos*, crudelitas, in tantum excreverit, ut vix aliud tandem, quo crimina, in istos commissa, redimeret, & animos vexatorum quadantenus deliniret, ipsi suppetierit medium, quam ut *Templum*, magno sumtu, reficere institueret. (a)

XXII.

Statum *Ecclesiae*, & *Reipublicae*, deploratissimum fuisse, sub ipsis *Templi Posterioris* incunabulis, ut & temporibus, reparationi ejusdem assignandis, levi quasi penicillo adumbravimus. Sed cum nec melior unquam postea apparuerit, a scopo forsan haud aberrabimus, si de eodem nunc paucis quoque dispiciamus. Equidem non diffidendum est, *Templum* etiam *Prius* spoliis, & rapinis, hostium quandoque datum fuisse; siquidem non tantum *SESAC*, (quem *MARSHAMUS* ad *Seculum XIV. Rerum Aegyptiac.* *SESOSTRIN* nuncupat,) *Aegypti Rex*; (b) sed & *JOASUS*, *Israelitarum* tyrannus, (c) idem diripuit. Vēnī enim vero, cum *Sesack*, sive *Sesostris*, regnum *Judaeae* nequaquam imminuerit, sed, ablatis thesauris, & scutis aureis, contentus, ab eodem postea abstinuerit; *Joasus* item, omni, & auro, & argento, omnique suppellectili, quae in *Aede Jehovae*, & in thesauris regiis, reponebatur, surrepta, *Samaritanis* iterum reversus sit; commoda afflictis occasio non defuit, quo damna, improvise istis illata, quadantenus repararent. Sed si, hac in parte, curatius ad *Templum Posterius* attendamus, non plura tantum

(a) *Ligtfoot. T. I. Op. Descript. Templi Jeros. p. 570.* (b) *1. Reg. XIV. v. 26.* (c) *2. Reg. XIV. v. 14.*

tum spoliationum genera, idem istud subire oportuit, sed & diuturniora. Agebant quidem reversi, ex captivitate, *Judaei*, sub *Persarum* imperio, dies halcyonios; ALEXANDRVM quoque, terrarum late victorem, experiebantur, supra spem, propitium, & ad *Insulati Pontificis* occursum, precesque, gratiosissimum, (a) sed mortuo *Alexandro*, sub diversis *Graecorum* regnis, *Templum*, commune quasi, Dominantium, gazophylacium fuit, ex quo, pro lubitu, pecuniae tantum, quantum, ad opprimendos vicinos hostes, sufficere videbatur, depromebant. Non jam ad PTOLOMAEUM, *Philopatorem*, provocabimus, cui, in *Templum* interius involare properanti, SIMEON II, *Summus Pontifex*, si Auctori *Tertii Maccabaeorum* libri fides, hac in parte, tribuenda est, animose restitit. Iniquiora enim multo, humanis exempto rebus PTOLOMAEO, sub *Antiocho*, & universa *Judaea*, ac *Jerosolyma*, in primis quoque *Templum* perpeffum est fata; siquidem binis hoc ipsum vicibus, a memorato *Antiocho*, spoliatum, ac profanatum, est, adeo, ut nec *Altari thymiamatis*, nec *Mensae aureae*, Tyrannus iste quicquam pepercerit. (b) Et quanquam huic demum, & ejusdem posteris, mascule sese opponerent MACCHABAEI, & a malis imposterum sibi, suisque, metuendis, vigilantia, & fortitudine, praecaverent: illorum tamen pronepotes HYRCANUS, & ARISTOBULUS, fratres, natura pares, animo dispares, discordiis suis perpetuis *Templum*, vel expilandum, vel saltim profanandum, vice haud simplici, ut *Pompejo*, ita dein

F

Craf-

(a) *Joseph. L. XI. cap. 8. Antiq. Judaeor.*

(b) *1. Maccab. I. v. 23. & seqq. 2. Maccab. V. v. 16.*

Crasso, & mox *Partbis*, expōsuere. Tandem vero, fe-
ditione, non una, a *Judaicis* mota, grande hoc, gentis
Judaicae, decus a *Romanis* penitus comburebatur.

XXIII.

Ex tot, in *Templum*, exercitiis hostium rapinis, li-
bertas ejus, quae fuerit, facile conjici potest. Ab AN-
TIOCHO enim, sanctum Dei *Templum*, δι δλυμπίως
sicuti *Templum Samaritanum* δι ξεβίω, consecrabatur,
qui & ethnica sacra, & profanos ritus, introducebat.
(a) Sub *Romanorum* autem imperiō, non solum *Eth-
nicorum* recipi debebant sacrificia: (b) sed quoque
insigne *Romanorum*, AUREA AQVILA, (c) su-
pra majorem *Templi* portam, suspendebatur, cujus ani-
mosiorem, media die, de porta detractionem, ac pro-
culcationem, *Judaeorum*, tum temporis, doctissimi, JU-
DAS, & MATTHIAS, vivi comburiō expiare de-
buerunt. (d) Accedit & illud, quod CAJUS CALI-
GULA statuam suam in *Templum* inferri jusserit, & li-
cet decretum hoc, ad preces AGRIPPÆ, Senioris, *Tyrannus*
postea mutaverit: (e) haud obscurum tamen, a-
missae *Templi* libertatis, vestigiū nobis reliquit. Insu-
per memoratur *Stolae Pontificiae*, in arce *Romanorum*,
usque ad CLAUDIUM, qui istam tandem remisit, inju-
sta custodia, nec non *Sacerdotii Summi*, ad nutum do-
minantium, impia nundinatio; nullo plane, vel ad ge-
nus ἀρχιερατικόν, vel ad candidatorum merita, ac virtu-
tes, respectu habito. Digna sunt, quae memorentur
hic,

(a) 2. *Maccab. VI. v. 2.* (b) *Joseph. Antiq. Jud. Lib. XII.*
cap. 7. (c) *Joseph. L. II. cap. 16. de bello Jud.* (d) *Jo-*
seph. Antiq. Lib. XVII. cap. 8. (e) *Joseph. Antiq. Lib. XIV. c. 11.*

hic, ex *Talmude*, verba : (a) *Stetisse Templum primum annis 410, sub eoque non, nisi octodecim, fuisse sacerdotes : sed secundum 420, fuisseque sub eo plures trecentis.* JOSEPHUS, (b) ab Herode ad Templi excidium, XVIII. *Pontifices Summos* extitisse affirmat, qui partim ab Herode, ejusque progenie, partim etiam a Romanis, via sibi a *Candidatis* ad hanc dignitatem, vimuneribus, malis artibus, semel facta, constituti fuerint. A vero itaque hic nequaquam aberrabimus, si, *Posterioris Templi* Sacerdotes, omnium nequissimos fuisse existimemus. Ur enim istos hic taceamus, qui ante *Assamonaeorum* vixerunt tempora, (quos inter *Jonathan*, vel *Johannes*, a *Josua* quintus, qui *Jesum*, suum corrivalem, in loco sancto, interfecisse dicitur, (c) & *Simeon II.* filius *Jason*, & *Mepelaus*, qui sibi pretio, dolo, & armis, sacerdotium, *Reipublicae* vero interitum, accelerarunt, & quorum exemplum *Hircanus*, & *Aristobulus*, postea imitabantur) imprimis huc referendi sunt, *Pontifices*, paulo ante *Templi* everisionem, ad summam hancce dignitatem eVecti. Quae enim horum fuerit facies, de eo, & *Evangelia*, & *Apostolorum Actus*, abunde nos informant, & prae caeteris quidem, ille malignantium coetus, quem, contra *MESSIAM* suum, coegerant Sacerdotum capita, inter quae *Summus Pontifex* evainebat, ut dubitandum non sit, quod a primo lapsu, nequissimis hisce, nequiores non extiterint. Fuisse quidem, in *Templo Priore*, *Pontifices*, & Sacerdotes, qui reatibus sese obstrinxerint gravissimis,

F 2

fusae,

(a) *Tal. Bab. Sed. 2. Lib. 5. Joma f. 9 cap. 1. & Ligtfoot. Hor. Heb. & Talm. pag 117.* (b) *Antiq. Jud. Lib. XX. cap. 8.* (c) *Joseph. Antiq. Lib. XI. cap. 7.*



fusae, hoc super negotio, *Prophetarum* querelae, evidenter satis, demonstrant, ita tamen, ut probari inde plane non possit, quod, in perpetrandis sceleribus, pares hicum prioribus fuerint; postquam, a *Templi Posterioris* Pontificibus, ipsius MESSIAE trucidatio, qua foedius, & immanius, concipi nil quicquam poterit, perfecta est.

XXIV.

Ambitiones autem, atque scelera, *Sacerdotum*, in primis *Summi*, *Templi* alicujus gloriae non parum detrudere; verba *Salvatoris* Nostri dilucide confirmant, quibus ob nundinas, in *Templo* institutas, & ab iis potissimum frequentatas, qui devotos pauperes emungebant, *Templum* ipsum (a) σπήλιον ληστῶν, *latronum speluncam*, nuncupat. Et hoc quidem supposito, quis sponte non percipiat, quod, *Pontifices Summi*, tot scelerum reatibus, commaculati, in primis vero, ob MESSIAE perpetratae coedem, execrandi, eo plus Gloriam *Posteriori Templo* ademerint, quo plus rapinis, & sceleribus, suis indulgebant. Erant enim, *Sacerdotes Templi*, ministri, & *Pontifex* quidem, minister istius perpetuus, qui, cuivis licet, ex inferiori *Sacerdotum* ordine, integrum esset, ut, expeditis septimanae suae muniis, cum familia domum repeteret, *Jerosolymis* tamen subsistere, & sacris constanter invigilare, debebat. Addimus his, quod *Sacerdotes*, & inter eos, *Sacerdos Summus*, SYNERI, (b) (quod ipsum fere, *Templi Posterioris* tempore, in *Templo*, ejusdemque conclavi, *Gazith*; quadraginta vero, ante vastatum *Templum*, annis, primo in tabernis, quas in *Atrio Gentium* fuisse, *Scriptores* quidam affirmant, postmodum

(a) *Luc. XIX. v. 46.*
ed. Erzsneq.

(b) *Ligtfoot. T. II. H. H. & T. p. 373.*

modum vero in ipsa urbe, & tandem etiam, extra urbem commorabatur) maximam, eandemque, nobiliorem, partem constituerint. (a) Quod si igitur *Sacerdotes Summi*, cum *Sacerdotibus Inferioribus*, qui, sine dubio, capitis ad exemplar se composuerunt, in *Templo Secundo* tot, ac tantis, obnoxii fuerunt reatibus, imo etiam scelera sua, maxima ex parte, in *Templo ipso*, in sede sanctissima, *Deo, & justitiae*, consecrata, perpetrarunt, *Templum* ipsum, merito suo, ab iisdem pollutum fuisse pronuntiabimus. Horret animus, si *Pontificum* protervitas recordor, qui sanguine θεανθηρῶν foedati, in sanctissimum *Adytum* penetrare non dubitarunt, tanto accessu indignissimi. Urgemus insuper, & *Posterioris Templi*, prae *Priori*, vilitatem, vel inde etiam, demonstramus, quod, effuso jam tum, in humani generis redemptionem, sanguine: nihilominus sanguis hircorum in *Sanctum Sanctorum* illatus fuerit, *Templum*que adeo ipsum quadraginta, ante vastationem, annos nullius valoris, ac decoris, fuerit, postquam semel aulaeum scissum, & *Christus* in cruce, τὸ CONSUMMATUM EST, exclamasset.

XXV.

Antequam vero stadia haec jucunda, in quibus satis nos decurrisse existimamus, prorsus deserimus; adhuc dum monemus, quod, si instituti ratio id pateretur, fufius in thema hoc inquirere, & *Prioris Templi*, prae *Posteriori*, gloriam, vel inde etiam, non parum amplificare, possemus, quod illud quidem omnibus aliis *Templis* aemulis caruerit; hujus vero splendor, non per SAMARITANVM tantum, in monte Ga-

F 3

rizim,

(a) vid. *Tal. Bab. Sed. 4. Lib. 9.*

rixim, a Pontifice *Manasse*, fratre *Gaddi*, (ut *Judaeis*, qui dignitate Sacerdotii eum privaverant, aegre faceret) extractum: sed & per HELIOPOLITANVM, a famosissima, *Superioris Aegypti*, urbe ita dictum, & a *Vespasiano* demum destructum, quod *Judaei* ONION (a) nuncupabant, non parum imminutus fuerit; item, quod, *Priori* destructo, aliud demum exsurrexerit, quale quid de *Posteriori* asseverare non possumus. Interim tamen, ne quid hic reticeamus, negari plane non potest, quod, qualis qualis, *Prius* inter & *Posteriorius Templum*, intercesserit convenientia, sequentibus, inprimis, tribus rationibus suffulta. Utrumque enim, (1) si situm spectes, in monte MORIA, & eo in loco, quem DAVID ante mortem, ad Deum propitiandum, pestemque a populo suo avertendam, separaverat, exaedificatum fuit. (b) Utrum vero in loco hoc, dudum ante *Davidis* tempora, imo, sub ipsa mundi exordia, *Adamus*, *Habel*, *Noachus*, aliique, sacra sua celebraverint; & utrum omnes, *Posterioris Templi*, loci, ac sedes, cum *Prioris Templi* sedibus, ac locis, exacte conspiraverint; de eo cum *Rabbinis*, (c) aliisque, subtilius nequaquam hic disputabimus, cum nobis quidem sufficiat, quod in loco communi, qualis *Moriae* mons, *Prius* aequae, ac *Posteriorius Templum* fundatum fuerit, & cum admodum sit probabile, quod inter reduces isti, qui *Prius* viderant *Templum*, haud difficulter curare potuerint, ut interior quoque domus, cum partibus suis, & holocausti ara, in *priori*. & antiquiore, sua sede, sine memorabili discrimine, collocarentur. Eaedem (2) partes

(a) *Joseph. Antiq. Lib. VII. cap. 30.*
v. 25.

(b) *2. Sam. XXIV.*

(c) *Abarb. Comm. in Propb. pr. fol. 231.*

tes essentielles fuerunt, siquidem ut in *Priori*, ita etiam in *Secunda*, *Domo* praeter *Sanctum*, & *Sanctum Sanctorum*; *Atria* duo, *Sacerdotum*, & *Israelitarum*, conspicua fuerunt. Utur enim MOSES unius tantum (a) mentionem injiciat, vix tamen tantae istud fuit amplitudinis, ut omnem *Levitarum* turbam, cum suis ministris, ne dum innumerabilem *Israelitici* populi multitudinem, capere potuerit. DAVID sane, in *Psalms* suis, (b) multitudinis numerum adhibet; unde pronum est, ut credamus, saltim *Davidis* aevo, alterum etiam populi *Atrium* priori adjectum fuisse. In *Salomonaes* quidem praeter *ATRIUM Sacerdotum*, & *Virorum*, *ATRIUM* quoque *Mulierum* extitisse, vel indenonnulli (c) probant, quod JOSAPHAT stetit dicitur, (d) לפני החצר החדשה, *coram novo Atrio*, quod scilicet *Templo*, sive ab *asa*, sive ab ipso *Josaphato*, recens adjectum fuerit, quanquam, MANASSIS adhuc tempore, non nisi duo, in *Templo*, atria fuisse scriptura (e) commemorer. Hoc verò dum asseveramus, plane non inficiamur, quod quoad multifarias porticus, & conclavia, *Posterius Templum*, saltim in prima structura, *Priori* palmam facile concesserit, (f) utur HERODES ultimum similiter, quod ad has etiam attinet partes, plurimum exornaverit, & *Atriis* recensitis, *Atrium Gentium*, si non primus (quod *Cels. VVitso*, (g) *Leidekkero*; (b) aliisque placet) adjecterit,

(a) *Exod. XXVII. v. 9.* (b) *Psal. LXV. v. 5. LXXXIV. v. 3. XCVI. v. 8. & alibi.* (c) *Conf. Melch. Leidekkerus de Republ. Hebr. p. 514. edit. Amst. de a. 1704.* (d) *2. Chron. XX. v. 5.* (e) *2. Reg. XXI. v. 5. & 2. Chron. XXXIII. v. 5.* (f) *Conf. 1. Reg. VI. v. 36. & VII. v. 12. & 2. Chron. XXXIII. v. 5.* (g) *Miscell. Sacr. pag. 409. ed. Traj. ad Rbenum de a. 1692.* (b) *de Republ. Hebr. edit. Amstelod. d. a. 1704. p. 514.*

cerit, ad minimum tamen magnificentius, & splendidius, extrui curaverit. Tandem, ut properemus ad finem; observamus (3), quod eodem, *Templi* utriusque destructione, tempore peracta fuerit. JOSEPHUS enim, eodem isto mense, eodemque mensis die, quo *Prius Templum*, per *Babylonios*, dejectum est, nimirum X *Ab*, qui nostro *Augusto*, aliqua ex parte, respondet; *Posterius* quoque *Templum* combustum fuisse, asseverat. (a) Ut enim, a JOSEPHO, *Talmud Babylonicum*, quando res, eodem die, nempe IX *Ab*, gestas, & inter has, *Templi Primi*, & *Secundi*, vastationem recenset, dissentire quadantenus videatur: bene tamen est, quod *Gemara* factum hoc, eam ob causam, esse adnotet, ut *faustum aliquod, ad diem aliquem faustum, infaustum vero, ad nefastum* (non observato praecise rei gestae die) *Doctores reducerent.* (b) Et, sive quis tandem nono, cum TALMUDISTIS, sive, decimo die *Ab*, cum JOSEPHO, *Templum* utrumque, flammis absumtum, existimet; habemus tamen nos, quod volumus, unum nempe, eundemque diem, tum *Priori*, tum *Posteriori*, *Templo*, si interitum utriusque spectes, fatalem fuisse. Sed haec, & si quae his in medium afferri poterant, similia, generalia sunt, & ita prorsus, si penitius introspiciantur, comparata, ut conditionem, *Templi* utriusque, longe disparem, & *Posterioris*, prae *Priore*, inferiorem e medio nequaquam, modo obliquis ad ea, quae haec tenus enarravimus, oculis quis attendat, summoveant.

Tantum.

(a) *Joseph. de Bello Jud. Lib. VII. cap. 9.* (b) *Sed. 2. lib. IX.*

AB 153000 (1)

ULB Halle

3


003 948 544



56.

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13



14

PRIORIS STERIORI RIA,

IFICENTISSIMO
RINCIPE REGIO
XONICI HEREDE,
CO AVGVSTO,
AESIDIO
HORI VVICH-
HAVSEN,
TALIVM PROF. PVBL.
OPH. SENIORIS, ET
D. DIRECTORIS,
A. R. G. c 17 17 CC XV.
e differet
TOR
VVIGAND BIEL,
RGENSIS.

BERGÆ
CHROEDERI, ACAD. TYP.

